

## CAPUT III.

Fusius ostenditur, Ecclesiae praecipuum et proprium semper fuisse libros malos proscribere; et hujusmodi juridict. semper Ecclesiam exercuisse.

1. - Saeculo IV, concilium Nicaenum anno 325, Aarii scripta damnavit (Nicephorus<sup>1</sup>); et deinde Constantinus praecipit morte multari, qui librum aliquem ab Ario confectum statim non attulisset (Apud Socratem<sup>2</sup>). — Patres etiam pseudo-concilii in Tyro circa annum 336, Marcellum Ancyranum ideo deposuerunt, quia sententiae damnationis suorum librorum noluit acquiescere, nec illos igni tradere. (Socrates<sup>3</sup>).

Theophilus, Alexandriae episcopus anno 385, fuit primus, qui libros Origenis damnavit, prohibuitque ne sui illos legerent; de quo eum postea Hieronymus, Epiphanius et Damasus Papa valde commendarunt. — At, cum Origenis opera usque tunc ubique cum plausu perfecta fuissent, quidam monachi in Palaestina dicebant, errata, si quae in libris inveniuntur, illa ex aliena manu in scripta Origenis irrepsisse; hinc contendebant, non propter illa, etiam reliqua esse damnanda. Theophilus vero<sup>4</sup>, hoc non obstante, ut refert Sulpitius Severus<sup>5</sup>: *Renitentes pro potestate cogebant, recta etiam universa cum pravis... damnare, quia satis superque sufficerent libri quos Ecclesia recepisset*; [subdens]: *respondendam esse penitus lectionem, quae plus esset nocitura insipientibus, quam profutura sapientibus*.

2. - S. Epiphanius pariter, coacto concilio cum episcopis suae insulae, eosdem

Origenis libros proscripsit, suosque a lectione compescuit. Denique Anastasius Papa illos pariter damnavit. Vide S. Hieronymum<sup>6</sup>. — Censuit Baronius<sup>7</sup>, tantum *Periarchon* Origenis fuisse damnatum; sed in hoc aperte ei contradicunt Severus, Palladius, Sozomenus, Hieronymus et alii, dicentes omnes codices Origenis vetitos fuisse. Eisdem deinde medio saeculo VI Justinianus comburendos mandavit, de hoc ab Ecclesia requisitus; et non obstante plurimorum reclamazione, edictum concremationis omnino executioni demandari voluit.

Eodem saeculo IV, concilium Carthaginense IV, sed verius V<sup>8</sup>, anno 398, sic statuit<sup>9</sup>: *Episcopus gentilium libros non legat; haereticorum autem pro necessitate et tempore*. — Circa eadem tempora, S. Joannes Chrysostomus Montani opera interdixit, ac igni tradidit. Vide Nicephorum<sup>10</sup>.

3. - Saeculo V, Innocentius I, in sua epistola anno 417, Pelagii et Coelestini opera damnavit. — Praeterea anno 431 Patres concilii Ephesini, postquam libros omnes proscripserunt Nestorii (Liberatus<sup>11</sup>); praevidentes autem, non defuturos homines pertinaces, qui censuras despicerent, in epistola synodali Theodosium Imperatorem rogaverunt, ut obrectantes sua potestate puniret<sup>12</sup>. Et ideo Theodosius, ac deinde Valentinianus non solum bonorum publicatione, sed etiam capitibus

<sup>1</sup> Eccles. histor., lib. 8, cap. 18; ap. Migne, Patrol. graeco-lat., tom. 146, col. 74. — <sup>2</sup> Lib. 1, cap. 9: epist. Constantini episcopi et plebibus. — <sup>3</sup> Lib. 1, cap. 36. — <sup>4</sup> Dialog. 1, n. 6; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 20, col. 188. — <sup>5</sup> Epist. 97, ad Pammachium, n. 4; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 22, col. 792. — <sup>6</sup> Ad an. 402, n. 16. — <sup>7</sup> Concil. carthag. IV,

cap. 16, ap. Labbe, tom. 2, col. 1438. Cfr. can. *Episcopus I*, dist. 37. — *Innoc. I*, Epist. ad quinque episcopos, n. 5; habetur inter epistol. S. Augustini, sub n. 183, ap. Migne, Patrol. lat., tom. 33, col. 788. — <sup>8</sup> Breviar., cap. 10; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 68, col. 990. — <sup>9</sup> Concil. Ephes., act. 6, Relatio synodi ad Imperat., sub n. 15; ap. Labbe, tom. 3, col. 1298.

1. - <sup>a</sup>) Aliique episcopi, uti liquet ex ipso textu Sulpitii Severi.

2. - <sup>a</sup>) Apud Labbe, tom. 2, col. 1433, de hoc concilio habetur: « Nomine et temporis ordine quartum ».

<sup>b</sup>) Nicephorus Callistus, lib. 8, cap. 18 suae historiae (quem locum allegat S. Alphonsus), loquitur, non de concilio Carthaginensi nec de operibus Montani, sed de Nicaenae synodi edicto, quo Aarii scripta igni addicta sunt.

supplicio contumaces coercendos esse mandarunt<sup>1</sup>. Deinceps, cum Nestoriani curaverint circumferri libros Diodori Tarsensis et Theodori Mopsuesteni, in quibus Nestorii errores magna ex parte latebant; Cyrillus Alexandrinus et Acacius Metropolita Armeniae, coactis synodis, illos proscripserunt, caveruntque ne fideles eos haberent. (Liberatus<sup>2</sup>). — Item anno 451, concilium Chalcedonense libros Eutychemis damnavit; et eodem tempore insuper mandavit, ut omnes Manichaeorum libri flammis traderentur. (Platina, apud Braschium<sup>3</sup>). Ac proinde Marcianus Imperator horum canonum contemptores damnavit poena deportationis; atque si impia dogmata postea docuissent, poena mortis. Extat apud concilium Chalcedonense<sup>4</sup>; et vide etiam Baronium<sup>5</sup>.

4. - Eodem saeculo V, iterum S. Leo libros Manichaeorum proscripsit; ut refert S. Prosper<sup>6</sup>, sic scribens: *Diligentia Papae Leonis innotuit, eos [Manichaeos] de secretis suis erutos, et oculis totius Ecclesiae publicatos, omnes dogmatis sui turpitudines et damnare fecit, et prodere, incensis eorum codicibus... Multique Orientalium partium sacerdotes industriam apostolici Rectoris imitati sunt*. Idem S. Leo scripsit<sup>7</sup>: *Curandum... est, et sacerdotali diligentia maxime providendum, ut falsati codices... in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphae autem scriptu-*

<sup>1</sup> L. *Damnato*, C. de haereticis et Manichaeis, et L. *Decere*, § 3, C. de SSma Trinitate. — <sup>2</sup> Part. 3, cap. 19; ap. Labbe, tom. 4, col. 1882; et L. *Quicumque* 8, § 5, C. de haeret. et Manich. — <sup>3</sup> Ad an. 452, n. 5 et 6. — <sup>4</sup> Chronic., part. 2, ad an. 443; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 51, col. 600. — <sup>5</sup> Epist. 15, ad Turribium, cap. 15; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 54, col. 688. — S. Leo, epist. 15, ad Turribium, capit. 16; ap. Migne, Patrol., tom. 54, col. 688. — <sup>6</sup> Ad ann. 382, n. 19, et ann. 494, n. 19. — <sup>7</sup> Vindiciae Ignatianae

rae..., non solum interdicens, sed etiam penitus auferendae sunt atque ignibus concremandae... Unde, si quis episcopo- rum... apocrypha haberi per domos non prohibuerit..., haereticum se noverit iudicandum; quoniam qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. — Idem S. Leo, ut legitur in suo responso ad S. Turribium, scripta damnavit Apollinaristarum et Dictinii episcopi Asturicensis (qui tamen ab errore jam resipuerat), sic inquit: *Sed nemo hoc impune praesumat, nec inter catholicos censeatur, quisquis utitur scriptis, non ab Ecclesia solum catholica, sed etiam a suo auctore damnatis*.

5. - Eodem saeculo V, putatur prodissi celebre decretum de censura librorum, Gelasio attributum. — Baronius<sup>8</sup>, cum aliquibus aliis, Damasum credit decreti illius auctorem, Gelasium vero promulgatorem; sed Pearsonius<sup>9</sup>, ex antiquissimo codice, in Angliam perlato a Lanfranco ex coenobio Beccensi, legit titulum: *Decreta Gelasii Papae de recipiendis et non recipiendis libris; quae scripta sunt ab eo cum 70 eruditissimis episcopis*. Et idem confirmant Gratianus<sup>10</sup>, Lupus Ferrariensis<sup>11</sup> alique, cum Nicolao Papa<sup>12</sup>.

Nec obstat quidam codex apud Baluzium, ubi decretum illud adscribitur Hormisdae Papae. Nam (ut referunt idem

(i. e. Epistolar. S. Ignatii mart.), part. 1, cap. 4, § *Decretum quidem* et seq. — <sup>8</sup> Can. *Sancta Romana* 3, dist. 15. — <sup>9</sup> Epist. 128, ad Dominum regem Carol. calv., v. f.; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 119, col. 605. — <sup>10</sup> Epist. 42 ad univers. episcop. Galliae, ap. Labbe, tom. 10, col. 288; epist. 75, ap. Migne, Patrol. lat., tom. 119, col. 903. — *Baluz.*, Notae ad epist. 128 S. Lupi Ferrariensis, nota ad v. *Gelasius cum septuaginta*; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 119, col. 605.

3. - <sup>a</sup>) Liberatus, in suo *Breviario*, cap. 10, narrat Acacium Melitenensem et Rabulam Edessae, scripsisse « Armeniae episcopis, ne Theodori Mopsuesteni libros susciperent tamquam haeretici et auctoris dogmatis Nestoriani... Congregati sunt ergo in unum venerabiles Armeniae episcopi et miserunt duos presbyteros... ad Proclum Constantinopolitanum episcopum secundum morem, cum libellis suis et uno volumine Theodori Mopsuesteni: scire volentes, utrum doctrina Theodori an Rabulae et Acacii vera esse probaretur ». Deinde narrat Proclum scripsisse tomum ad

Armenos, qui postea a Chalcedonensi concilio probatus est. Denique Cyrillum Alexandrinum quatuor libros scripsisse, tres scilicet adversus Diodorum et Theodorum, et alium de Incarnatione.

<sup>b</sup>) Platina, apud Braschi, tom. 3, cap. 26, n. 8, rem profecto narrat ut refert S. Alphonsus; at re vera Platina, in sua *Vita S. Leonis I*, dicit Chalcedonense concilium decrevisse: « ut... Nestorius et Eutychemis nefandus Manichaeorum praesul damnarentur ». Quibus sic dictis ipse Platina subdit: « Combusti etiam publice sunt Manichaeorum libri ».

Baronius <sup>1</sup>, Pagius <sup>2</sup>, card. Noris <sup>3</sup>, Pater Orsi <sup>4</sup> et alii), idem Hormisda, scribens ad Possessorem episcopum, asserit jam pridem extitisse decretum, dicens: *Quae essent catholica dogmata (in illo decreto) definiit (Patrum sapientia), certa librorum, etiam veterum in auctoritatem recipienda.* In decreto autem Gelasii legitur: *Non solum repudiata (nempe haereticorum scripta), verum etiam ab omni Romana et Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus, sub anathematis indissolubili vinculo, in aeternum confitemur esse damnata.* — Abbas de Fleury scribit <sup>5</sup>, in eo decreto simplicem directionem ad cautelam dari; non vero praeceptum prohibitionis, quia nullae in ipso adsunt censurae seu poenae injunctae. Sed perperam; nam verbum *eliminata* satis demonstrat, quod scripta illa jam ab Ecclesia fuerint damnata. Quomodo autem asserere potest Fleury, in illo decreto nullam adesse censuram impositam, dum in eo legitur: *sub anathematis indissolubili vinculo?* Accedit quod Clemens VIII <sup>6</sup> testatur, Gelasium sub censura librorum illorum detentores jam damnasse. Accedit insuper, quod Patres concilii Tridentini (ut refert cardinalis Pallavicinus <sup>7</sup>), ex digestis a Gelasio arguerunt, non esse opus in prohibitione librorum, ut citentur auctores, quorum sunt libri interdicendi. —

<sup>1</sup> Ad ann. 520, n. 21. — <sup>2</sup> Critica in Annal. Baronii, ad ann. 494, n. 4. — <sup>3</sup> Cenotaphia Pisana, diss. 4, cap. 2, § 1, v. f. — <sup>4</sup> Storia eccles., lib. 36, n. 104. — *Hormisda*, epist. 70, ad Possessor. episc., v. f.; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 63, col. 492. — *Gelas.*, can. *Sancta Romana* 3, diss. 15; cfr. etiam Labbe, tom. 5, col. 391. — <sup>5</sup> Histoire eccl., tom. 19, pag. xvi, discours 7, n. 13, v. f. (Edit. Paris. 1750). — <sup>6</sup> Constitut.

5. — *a)* Haec verba reperiuntur in Gelasii decreto, § 20, ubi Gelasius libros recensens, quos Ecclesia catholica diverso tamen gradu diversaque auctoritate recipit, dicit: « Item scripta de Inventione S. Crucis dominicae, et alia scripta de inventione capitis B. Joannis Baptistae; novellae quidem revelationes sunt, et nonnulli eas catholici legunt; sed cum haec ad catholicorum manus pervenerint, B. Pauli Apostoli sententia praecedat: Omnia probate, quod bonum est tenete ». De haereticorum vero scriptis loquens § 27, dicit tantum: « E quibus pauca quae ad memoriam venerunt, et a catholicis vitanda sunt ».

Alius autem auctor, nempe Van-Espen <sup>8</sup> dicit, in laudato decreto actum esse tantum de publica, non autem de privata lectione. Sed hic etiam perperam; nam in decreto dicitur: *cum haec ad catholicorum manus devenerint* <sup>a)</sup>. Quis non videt, hic etiam de privata lectione fieri sermonem?

6. — In saeculo VI, anno 536, Patres concilii sub Menna Constantinopolitano proscripserunt libros Severi, Petri Antiocheni et Zoarae, dicentes: *Abjicimus et... anathemate ferimus... omnia ab ipsis conscripta.* Et deinde ab Imperatore petierunt, ut sua sanctione canones pro re illa statutos roboraret <sup>a)</sup>. — Eodem tempore, Papa Vigilius damnavit scripta Theodoretii adversus S. Cyrillum; item libros Theodori Mopsuesteni et epistolam Ibae: ac deinde anno 553, libri illi in concilio II Constantinopolitano igni traditi sunt, et omnia eorum exemplaria, si quae postmodum invenirentur, sub excommunicatione vetita <sup>b)</sup>. — De libris pariter Priscillianorum, in concilio I Bracharensi anni 563 sic legitur <sup>9</sup>: *Si quis Scripturas, quas Priscillianus secundum suum depravavit errorem, vel tractatus Dictinii (quos ipse Dictinius antequam converteretur scripsit...) legit... aut defendit, anathema sit.* — Pariter in concilio Toletano III anni 589 habetur: *Sanctum est, ut libri omnes haereticorum igne comburendi darentur.* Baronius <sup>c)</sup>.

*Sacrosanctum*, die 17 Octob. 1595, in prooem.; habetur in Bullar. Rom. Mainardi. — <sup>7</sup> Hist. Concil. Trid., lib. 15, cap. 19, n. 11. — <sup>8</sup> Part. 1, tit. 22, cap. 4, n. 2. — *Concil. Constantinop.*, sub Menna, act. 5, Sententia Mennae... contra Severum, etc.; ap. Labbe, tom. 5, col. 1231. — <sup>9</sup> Contra Priscillian. haeres., cap. 17; ap. Labbe, tom. 6, col. 519. (Concil. Brachar. 1, al. n).

6. — *a)* Justinianus roboravit quidem sua auctoritate decretum hujus concilii; nusquam tamen reperitur Patres hanc confirmationem petisse. Vide Corp. jur. civ., Novell. 42. Cfr. Labbe, tom. 5, col. 1238 et seqq.

*b)* Concilium hoc II Constantinopolitanum damnavit scripta de quibus hic habetur mentio; non tamen ibi reperitur quod eadem igni tradita fuerint. Constitutum autem Vigilii, quo Pontifex damnavit scripta Theodoretii, etc., datum est anno sequenti, scilicet 554.

*c)* Haec non habentur in actis concilii quae supersunt; quinimo Baronius, *ad ann. 589, n. 43*, de concilio hujus actis scribit: « Aliquid in eis desiderari posse videtur, cum alia ab

Saeculo septimo et octavo.

In sequentibus saeculis, anno 649 in concilio Romano sub Martino I dictum fuit <sup>1</sup>: *Si quis... non respuit et anathematizat anima et ore omnes... nefandissimos haereticos (nempe Theodorum Pharanitanum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum et Paulum, etc.) cum omnibus impiis eorum conscriptis..., condemnatus sit.* Et <sup>2</sup> damnata fuerunt et sub anathemate prohibita scripta commentitia Mennae et Vigilii Papae de unica Christi voluntate. — Et in Trulano, anno 692 proscriptione fuerunt <sup>3</sup> quaedam apocryphae martyrum historiae, et flammis traditae. — Item, anno 745 S. Bonifacius, episcopus Moguntinus, Sedisque Apostolicae legatus, concilium advocavit, cujus imperio scripta impii Aldeberti combusta fuerunt. Deindeque Zacharias Papa, in concilio Romano idem confirmans, dixit: *Optime provisum a vestra sanctitate, ut conscripta illius omnia igne concrementur.* Apud Baronium <sup>4)</sup>. — Item, in concilio Nicaeno II anno 787, proscripti fuerunt aliqui Iconoclastarum libri, his verbis: *Anathema illis libris, et eis qui legunt* <sup>4)</sup>.

Saeculo nono.

7. — Nono saeculo, Nicolaus Papa, cum requisitus fuisset a Bulgaris; quid facien-

<sup>1</sup> Can. 18, ap. Labbe, tom. 7, col. 363. — <sup>2</sup> Concil. Constantinop. III, act. 14, i. m.; ap. Labbe, tom. 7, col. 1015. — <sup>3</sup> Can. 63, ap. Labbe, tom. 7, col. 1375. — <sup>4</sup> Act. 5, post 8 Euseb. librum; ap. Labbe, tom. 8, col. 1018. — <sup>5</sup> Epist. resp. ad Bulgaros, n. 108, ap. Labbe, tom. 9, col. 1566. — *Adrian.*, ap. Labbe, tom. 10, col. 492. — <sup>6</sup> Can. 4, ap. Labbe,

eodem rege [Reccaredo] statuta esse tradantur, quae in eisdem actis minime reperiuntur expressa: nam et regio dicitur sancitum edicto, ut libri omnes haereticorum igni comburendi darentur. Testatur id quidem Aimonus. Ita Baronius. Aimonus vero Floriacensis, in sua *Historia Francorum, lib. 3, cap. 77*, ait: « Reccaredus, rex Gothorum, omnes libros sectae Arianae apud Toletum uno in loco adunari praeciens, ipse cremavit ». Cfr. Migne, Patrol. lat., tom. 139, col. 749.

*a)* Adrianus damnavit quidem Aldebertum; sed ipse Bonifacius in dicto concilio, primus archiepiscopus Moguntinus, deposito Gervilione, renuntiatus est. Neque in illo ipso concilio igni tradita sunt Aldeberti scripta; sed res ita se habuit. Lecta siquidem in concilio Romano Aldeberti oratione, « Zacharias, SSsmus ac Beatissimus Papa, dixit: Quid ad haec, sanctissimi Patres, respondetis? Sanctissimi episcopi et venerabiles presbyteri responderunt: Quid aliud agendum est, nisi ut omnia quae

dum de libris allatis a Saracenis; respondit: *Utpote noxii et blasphemii, igni tradendi* <sup>5</sup>. — Praeterea Adrianus Papa, anno 869 sic Basilio Imperatori scripsit: *Cuncta decernimus exemplaria [Photii <sup>a)</sup>] prorsus a possessoribus suis ablata... igne cremari; nec superesse apud quemlibet ex his... unum apicem, nisi forte quis totius nominis christiani dignitate, anathemate percussus, carere voluerit... Accendatur... tuae zelus pietatis, etc.* Sicque prosequitur Pontifex, rogans Imperatorem, ut ipse suis etiam edictis, poena coereret inobedientes. Apud Beyerlinck <sup>b)</sup>. — Concilium Tulense I anno 859 <sup>6</sup> confirmavit canonem quartum concilii Valentini III, qui de libris Scoti Erigenae ita statuerat: *A pio auditu fidelium penitus explodimus, et ut talia et similia [scripta] caveantur, auctoritate Spiritus Sancti interdicimus.* Leo IX anno 1050, in concilio Vercellensi sub anathemate pariter damnavit librum Scoti de Corpore Christi. (Lanfrancus <sup>7</sup>). Honorius III anno 1225, confirmans acta concilii Senonensis, proscripsit alium praefati Scoti librum *de Naturis*.

Praeterea, in Concilio Romano sub Nicolao II anno 1059, Berengarius, ejuratus

tom. 10, col. 129. — *Concil. Valent.*, can. 4, ap. Labbe, tom. 9, col. 1154. — <sup>7</sup> Lib. de Corp. et Sang. Domini, cap. 4; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 150, col. 413. Cfr. Labbe, tom. 11, col. 1431. — *Honor. III*, ap. Migne, Patrol. lat., tom. 122, col. 439. Bulla desumpta ex Alberici Chronico, ad an. 1225.

nobis relecta sunt, igni concrementur... Zacharias, SSsmus et beatissimus Papa, dixit: Optime provisum est a vestra [nempe Patrum concilii Romani] sanctitate, ut scripta illius omnia igne cremantur. Sed opportunum est, ut in scrinio nostro ad reprobationem et ad perpetuam confusionem ejus reserventur. Ita apud Baronium, *ad ann. 745, n. 36*; neque aliter ap. Labbe, *tom. 8, col. 298 et 305*.

7. — *a)* Scilicet actorum concilii quod Photius contra Sedem Apostolicam coegerat.

*b)* Adrianus quidem prosequitur rogans Imperatorem, ut ipse suis edictis poena coereat inobedientes, sed Beyerlinck, in suo *Theatro mundi, tom. 2, pag. 699, v. Dedecus*, haec narrat: « Basilius Imperator, inquit, Photii patriarchae Constantinopolitani volumen, contra Nicolaum et Romanae Ecclesiae ambitionem scriptum, et a synodo subscriptum, ad Adrianum misit, et sententiam de eo petiit. Adrianus illud Romae in synodo damnavit et igni tradidit ».

Libri Scoti Erigenae.

Berengarius.

erroribus, adducere omnes suos suorum-que libros coactus est, qui omnes concremati fuerunt. (Lanfrancus<sup>1</sup>). — In concilio Sussionensi anno 1121, coactus est Petrus Abaelardus sua scripta propriis manibus igni committere. (Gaufridus<sup>2</sup>). Innocentius II sub excommunicatione mandavit, ut qui haberet libros praefati Abaelardi et Arnaldi a Brixia, illos statim combureret. Extat in concilio Lateranensi in fine<sup>3</sup>. Idemque praeceptum datum fuit anno 1140 in concilio Senonensi. (Apud S. Bernardum<sup>4</sup>). — Idem de libris Gilberti Porretani statuit Eugenius III anno 1148 in concilio Rhemensi; ut refert Gaufridus (apud Graveson<sup>5</sup> et apud Natalem Alexandrum<sup>6</sup>), dicens: *Dominus Papa auctoritate apostolica... capitula ipsa damnavit, districte praecipiens, ne eundem librum legere vel transcribere... quis auderet.*

8. — Pariter concilium Parisiense anno 1209, damnavit libros Davidis a Dinando: *Qui...* (ait Rigordus<sup>a</sup>), apud Petavium<sup>5</sup>, et apud Natalem Alexandrum<sup>6</sup>), *jussi sunt omnes comburi; et sub poena excommunicationis cautum est in eodem con-*

<sup>1</sup> Lib. de Corp. et Sang. Domini, cap. 1; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 150, col. 409. Cfr. Labbe, tom. 12, col. 48, in notis Severini Binii. — <sup>2</sup> Epist. 198, ad Magistr. Ivonem card.; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 182, col. 359. — *Gaufrid.*, epistola ad Albinum cardin., n. 8; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 185, col. 592. — <sup>3</sup> Hist. eccles., saec. XII, tom. 3,

<sup>c</sup> Gaufridus, in *vita S. Bernardi*, lib. 3, cap. 5, n. 14, i. f. (Migne, Patrol. lat., tom. 185, col. 311), rem sic narrat: «Et ipsum ergo auctorem eadem sententia cum erroribus suis apostolicus praesul involvens, scripta incendio, scriptorem silentio condemnavit». Quod autem compulsus sit Abaelardus, ut suis ipse manibus librum in ignem conjiceret, narrat Otho a Frisinga, lib. 1, de *Gestis Friderici*, cap. 47, apud Labbe, tom. 12, col. 1319, et ipse Abaelardus in sua epistola prima seu historia calamitatum, cap. 10, ap. Labbe, ibid., col. 1322, et Migne, Patrol. lat., tom. 178, col. 150.

<sup>d</sup> Innocentius II, in concilio Lateranensi II (anno 1139 celebrato), defensores Arnaldi excommunicatione percussit. Vide Labbe, tom. 12, col. 1505. Quorum meminit ipse Innocentius, in suis ad archiepiscopos Rhemen. et Senonen., et ad D. Bernardum Litteris (Labbe, tom. 12, col. 1531; Migne, Patrol. lat., tom. 179, col. 515, Innocentii epist. 447). Quod autem eorum scripta igni comburerentur, hoc non fuit in Lateranensi concilio sancitum; sed habetur in alia Innocentii ad eosdem epistola, Laterani

*cilio, ne quis eos de caetero scribere, legere praesumeret, vel quocumque modo habere.*

In concilio Tolosano anno 1229, vetitum fuit, ne laici cujuscumque generis et status penes se haberent, durante haeresi, quemcumque librum sacrae Scripturae, exceptis Psalterio et Breviario. (Concilium Tolosanum, apud Harduinum<sup>7</sup>). — Et quoniam haereticorum est sacras Scripturas in vernaculam linguam vertere, ut illas, modo suo interpretantes erronee, postmodum tradant suis addiscendas; ideo synodus Biterrensis anno 1246, interdixit omnes Scripturae libros<sup>b</sup>), vulgarem in linguam traductos. Idem statuerunt concilia Hierosolymitanum, Mechliniense, Cameracense et alia plura, quae observari possunt in libro edito Parisiis anno 1661, ex praecepto cleri Gallicani, sub titulo: *Collectio auctorum, qui ex professo sacrae Scripturae in vulgarem linguam translationes damnarunt.* De hac re adest etiam quarta regula Indicis<sup>c</sup>). Insuper Papa Clemens XI proscripsit propositionem 79 Quesnellii, quae dicebat: *Utile et necessarium est omni tempore, omni loco et*

part. 4. — <sup>4</sup> Hist. eccles., saec. XI et XII, cap. 4, art. 9, v. f. — <sup>5</sup> De theol. Dogmat., prolegom., cap. 3, n. 8. — <sup>6</sup> Hist. eccles., saec. XIII et XIV, cap. 3, art. 2, p. m. — <sup>7</sup> Cap. 14, ap. Harduinum, Collect. concilior., tom. 7, col. 178; cfr. etiam Labbe, tom. 13, col. 1233 et seqq. — *Clemens XI*, Bulla *Unigenitus*, de 8 Sept. 1713, in Bullar. Rom. Mainardi.

tamen data (Labbe, loc. cit., col. 1532; Migne, loc. cit., col. 517, epist. 448), in qua haec leguntur: «Per praesentia scripta fraternitati vestrae mandamus, quatenus... faciatis... libros erroris eorum [Arnaldi et Abaelardi], ubicumque reperti fuerint, igne comburi».

8. — <sup>a</sup>) Opera Davidis de Dinando damnata quidem sunt in Parisiensi concilio (anno 1209 celebrato, non vero 1204, ut Petavius scribit); sed verba Rigordi, *Lib. de Gestis Philippi Augusti, regis Francorum, ad an. 1209*, referenda sunt ad Aristotelis opera de Metaphysica (alii dicunt de philosophia naturali), quae pariter eodem concilio damnata sunt. Cfr. Labbe, tom. 13, col. 808.

<sup>b</sup>) Concilium Biterrense, cap. 36, loquitur «de libris theologicis, non tenendis etiam a laicis in latino, et neque ab ipsis neque a clericis in vulgari». Ap. Labbe, tom. 14, col. 106. Sed concilium Tolosanum anni 1229 sancivit, cap. 14, pro laicis prohibitionem quam refert hic S. Alphonsus. Labbe, tom. 13, col. 1239.

<sup>c</sup>) Adest etiam de hac materia decretum in const. Leonis XIII *Officiorum*, tit. 1, cap. 3.

*omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria sacrae Scripturae.*

Praeterea Cancellarius Parisiensis, et Doctores Regentes jussu Gregorii IX libros Thalmudicos publice concremarunt. (Natalis Alexander<sup>1</sup>). Idem statuerunt Clemens IV, Honorius IV, Joannes XXII et alii (vide Sixtus Senensem<sup>2</sup>); et ex sola bibliotheca Judaeorum, quae erat Cremonae, combusta sunt duodecim millia exemplaria<sup>d</sup>). Insuper Julius III<sup>3</sup> praecepit quoscumque codices Judaeorum<sup>e</sup>) ex eorum domibus eruendos, et concremandos; et Clemens VIII<sup>4</sup> omnibus facultatem admittit, adhuc inquisitoribus et legatis a latere, impertiendi licentiam ad eos legendos.

9. — Alexander IV<sup>5</sup> anno 1256, sub excommunicatione vetuit, ne quisque haberet scripta Gulielmi a Sancto Amore<sup>a</sup>), mandavitque, ut intra octo dies illa comburerentur; et omnes paruerunt. Vide Gulielmum Nangium<sup>6</sup>. — Pariter Petrus, Tarraconensis archiepiscopus, auctoritate Alexandri V anno 1260, sub anathemate

Circa libros Hebraeorum.

Libri Gulielmi a S. Amore.

libros Raymundi Lulli proscripsit; et cum deinde anno 1376, Gregorius XI prohibitionem confirmasset, Petrus Aragoniae rex, de illa moerens, Pontificem rogavit, ut opus Lulli iterum examinaretur ab episcopo Barcinonensi: sed hoc non obstante, proscriptio stetit, et rex humiliter illi acquievit. — Item Thomas Arundelius, archiepiscopus Cantuariensis, coacto concilio provinciali anno 1408 Oxoniae, prohibuit sub excommunicatione, ne quis legeret aut haberet quemcumque librum ab Academia Oxoniensi aut Cantabrigensi prius non probatum. Pariter Joannes XXIII, in concilio Romano anno 1413, plures libros damnavit, episcopis curam injungens, ut omnes illi concremarentur. (Vide Labbe<sup>7</sup> et Natalem Alexandrum<sup>8</sup>). Idemque mandatum renovavit concilium generale Constantiense anno 1415.

His perspectis, nequeo intelligere, qua fronte possint quidam asserere, Ecclesiae tantum esse censuram dare de pravis libris, non vero illos prohibere et comburere.

<sup>1</sup> Hist. eccl., saec. XIII et XIV, cap. 1, art. 4, n. 3. — <sup>2</sup> Biblioth. sancta, lib. 2, v. *Traditiones*; cfr. lib. 4, v. *Manahem*. — <sup>3</sup> Brev. *Cum sicut nuper*, de 29 Maji 1554, § 1, Bullar. Rom. Mainardi. — <sup>4</sup> Constit. *Cum Hebraeorum*, de 28 Februar. 1592, § 4, in citato Bullar. Rom. — <sup>5</sup> Const. *Romanus Pontifex*, de 5 Octob. 1256, in cit. Bullar. Rom. — <sup>6</sup> De Gestis Ludovici (IX) Francor. reg., ad an. 1256. — <sup>7</sup> Concilium Oxoniense, cap. 6, ap. Labbe, tom. 15, col. 1096; concil. Rom. ap. Labbe, tom. 15, col. 1380. — <sup>8</sup> Hist. ecclesiast., saec. XV et XVI, capit. 6, artic. 1. — *Concilium Constantiense*, Sess. 8; ap. Labbe, tom. 16, col. 122.

<sup>d</sup>) Sixtus Senensis, lib. 4, loc. cit., narrat mille fere exemplaria commentariorum in Pentateuchum Manahem, innumeris thalmudicis erroribus referta, «una cum aliis decem millibus thalmudicorum scriptorum voluminibus», Cremonae flammis tradita fuisse.

<sup>e</sup>) Eos scilicet, «in quibus nomen Jesu Salvatoris nostri... cum blasphemia, aut alias ignominiose nominatur».

9. — <sup>a</sup>) Constitutio Alexandri respicit non quaelibet opera Gulielmi, sed librum *de Periculis novissimorum temporum*.